



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. XII. Quomodo, quando, & ubi facienda sit probatio, & quis sit finis illius,  
& effectus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

scilicet, vel si hic haberi non possit, ab aliis duobus viris idoneis, qui Notarii locum suppleant, ad cavendas scilicet multas Litigantium tricas, & fraudes Judicum, nisi causæ essent valde exiguæ, & leves, ubi vix præjudicium aliquod timeri potest. Neque tamen ad acta iudicii probanda præter Iudicem & Tabellionem, qui in præsentia Iudicis, & ex huius mandato ea scripsit, alii testes requiruntur, cum utriusque officium sit publicum, & ex consuetudine tantum ad sententiam definitivam testes alii adhibentur.

Quod si verò causa ad alium Iudicem devolvatur, acta & processus prioris iudicii ei exhiberi, & ad eum transmitti debent, prout habetur in *c. Causam 11. de testib. & ex c. Cum bona 15. h. t.* desumitur, ita ut fidem faciant etiam in altero iudicio, inter easdem personas, & in eadem causa. Sive sint acta ordinatoria iudicii, sive sint acta probatoria, seu instructoria causæ, & ad merita litis, ejusque decisionem spectantia, nisi per lapsum temporis, aut absolutionem ab observatione iudicii, instantia iudicii precepta sit.

## §. XII.

*Quomodo, quando, & ubi facienda sit probatio, & quis sit finis illius, & effectus.*

Fieri debet probatio secundum formam Libelli, cum secundum illam pronuntiandum sit, & consequenter Iu-

dex secundum Libelli formam instrui debet, & moveri; & hinc clara etiam debet esse, & certa, & in questione (specie) non sufficit probare genus, sed species probari debet, sive fiat in loco iudicii, sive extra, ubi Iudex testes recipere vult. Facienda autem est ordinariè post litem contestationem, ut supra dictum, ita tamen, ut prius probetur Actoris intentio, quam Rei exceptio, cum Actore non probante absolvens sit Reus (saltem ab observatione huius instantiæ) etiam si nihil egerit, neque publicata testimonia, & postquam causa conclusum est, admittenda est probatio super eisdem articulis, promittitur ex *c. Intrauit 6. h. t.* (nisi super articulis de novo emergentibus, ut supra dicitur) cum per talem in causa conclusionem censeantur partes renuntiare anterioribus probationibus.

Finis autem probationis est, Iudicem fidem facere, & ut intelligat licet, quatenus sententiam ferre debeat, cui faciendæ probatio, & hic secundum allegata probata, sententiam ferre, ne licentia suam, condemnandus in id, quod Litigantis interest. Neque est contra probationem factam purgatio canonica admittenda, cum innocens ille in foro esse non possit, qui plenè probatus est, esse nocens. *c. Ad nostram 12. h. t.* & sæpe ut sic crimina impunita reliquerentur cum magno Reipublicæ damno.

